



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. V. Beatißimæ Virginis exemplo Crvx ferenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

CARYT V.

Beatissimæ Virginis exemplo CRVX
ferenda.

Tuam ipsius animam pertransibit gla-
dius. Luc. 2, 35.

Si CRVCIS haud expers sit Virgo criminis ex-
pers;
Noxia, quid dubitas subdere colla CRVCI?



PERERABANT hæc, velut sagit-
tæ acutæ, animum Staurophi-
læ, vt lacrymæ vberim deflue-
rent ex oculis; resumpto autem
spiritu dixit: Gratias tibi ago,
ô sponse sanguinum, quia in vitâ tuâ exhi-
buiſti mihi formam cuiuscumque CRVCIS
ferendæ. Et quis mihi det, vt per *semitam*
patientia & humilitatis incedens, per Chri-
ſtum ad Christum meum tendam. In quo itine-
re etſi nec æſtus deſit laboris, nec nubes tristi-
tia, nec procella formidinis, nec inſidia ini-
quorum, nec minæ potentium, nec contumeliæ
ſuperborum, confido tamen quòd tuo adiu-
torio hæc omnia percurram; non ignara,
non tam optandum declinando iſta effugere,
quàm

Leo Serm.
16. de Paſ-
ſione.

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Luc.*



*Si CRVCIS haud expers sit VIRGO criminis expers;
Noxia, quid dubitas subdere colla CRVCI?*

quàm tolerando superare. Atque hoc nunc est desiderium & votum cordis mei.

Benè habet, inquit, Christus, quòd grata sis instructori tuo: nam beneficia potiora meretur, qui pro acceptis non fuerit ingratus. Alterum proinde stimulum ad CRVCIS onus suscipiendum adiungam. Sed id prius velim mihi dicas, quid nuper tibi acciderit, cum nouam coëmeres tunicam? Subridebat hinc Staurophila, & Cur illud, inquit, Domine requiris? aut quid ad rem facit? Nimirum, aiebat Christus, intelliges postea, hoc tuæ seruire eruditioni. Nihil igitur cunctata, Tergiuersabar, inquit, cum mercatore de pretio, quod ille (vt mihi quidem videbatur) enormius efflagitabat, a multis vltro citroque habitis sermonibus, tandem subijciebat: Ecce vno aut altero abhinc vico mater mea habitat, quæ eundem pannum non minoris emit. Adi eam, & audi, num ita se res habeat, & videbis me iniquum non exigere.

Satis hoc, inquit, Christus, hinc iam docebo, quàm æquum sit, pro Regno Dei, & salute tuâ CRVCEM ferre. Venale habet Pater meus Regnum cæleste, & aliud non querit pretium quàm te ipsum: tantum scilicet valet, quantum es: te da, & habebis illud. Sed da te CRVCEM haurulentem, da te me se-

Beda Ser-
mone 18.
de Sanctis
ex August.

quen-

quentem, da te vitam in CRUCE consum-
mantem? Quid turbaris de pretio? nō
& me oportuit pati, *Sic intrare in gloria
meam?* Iam vides, quæso, an non eodem pre-
tium immaculata Mater mea, quæ nullis ter-
renis inquinata fuit affectibus, sed caelestibus
educata cogitationibus, cum esset animata
calum, caelestia emerit tabernacula.

Luc. 24,
26.

Damasc.
Orat. 2. de
Dormit.
B. Mariæ.

Act. 14, 21.

Quod si à CRUCE quispiam immunis a
æternam admitteretur beatitudinem, an
putas id Genitrici meæ, eidemque sanctissi-
mæ, indulgendum fuisse? sed stat, æternum
que stabit æterni Patris decretum, *Per mul-
tas tribulationes oportet intrare in regnum
Dei.*

Voluptas enim erit, aiebat Staurophila, au-
dire has B. Virginis CRUCES & dolores, ut
per eius exempla sequar Dominum Re-
demptorem. Recensebo ergo nonnullos, in-
quiebat Christus, ut puri hominis, & infir-
mioris quidem sexus formam tibi propo-
nam, ne diuinâ virtute Deum-hominem ad-
uersa superasse fortassis obijcias, atque ut
hinc erga inestissimam Matrem meam tibi
crescat reuerentia & cultus. Gratius mihi,
aiebat Staurophila, nihil posset accidere:
iam pridem enim, quidquid ad cultum Vir-
ginis-Matris aliquo modo facit, maximo
pietatis sensu me affecit.

Age

Age igitur, inquebat Christus, compingam tibi velut in myrrhæ quoddam fasciculo Dolores & CRUCES, quibus discruciatam fuit. Quo enim dolore affectam credis, cum Regina cælorum, & Angelorum Dominæ locus non esset in diuersorio, sed in patulum quoddam stabulum tenera ac prægnans Virgo secedere coacta fuit? Quo sensu recens nati vagitus excepit? quàm intimè compassa est nuditati, frigori, inopiæ, & reliquis, quibus tum affligebat, infantia ærumnis? Et cum prænosceret omnes, mihi postea infligendos cruciatus, an non credis, quoties me pannis inuoluit, quoties manus & pedes contrectauit, toties animum nouo dolore absorptum, quòd cogitaret, illas manus, illosque pedes duris aliquando clauis CRUCI affigendos? Quàm dirus doloris gladius penetrauit Virginis animam, cum cruentam Filij sui aspiceret circumcisionem! cum audiret Herodis decretum de occidendis paruulis, illudque deinde immaniter executioni dari! Quàm molestum ei fuit, intempesta nocte solum vertere, difficillimo itinere in Ægyptum concedere, ibique septem ipsis annis cum barbaris hominibus, qui innumeris probris diuinum Numen laceflebant, vitam transigere!

Quid referam luctum, quem habuit, cum

triduo

Luc. 2, 7.

Ex S. Briggittâ lib. 6.
Reuelat. cap. 57.

triduo amissus hærebam in templo? Si enim
Tob. 10, 4. Anna Tobis mater, eò quòd die statuto mi-
 nimè reuertetur filius, fleuit irremediabi-
 libus lacrymis; quos non planctus emisit il-
 la, quæ me non filium modò, sed Deum
 suum credidit amissum? Quis mœror occu-
 pavit, cum consanguineum suum Ioannem
Luc. 7, 28. Baptistam, quo maior inter natos mulierum
Matt. 11, 2. non surrexit, audiuit in vincula coniectum
 & capite multatum? Quàm acerbis ei fuit
 dilectissimi sponsi Ioseph interitus!

Magna profectò, inquiebat Staurophila,
 magna hæc sunt, quæ Virginem-Matrem
 grauissimè affecerint; & vix ipsa credideram
 tot eam CRVCIBVS, antè Domini mei pas-
 sionem, adbrutam. Præludia hæc fuere, in-
 quiebat Christus, & initia dolorum, qui
 deinceps velut agmine facto in eam irru-
 erunt. Neque enim ignara fuit eorum quæ
 mihi passionis tempore acciderunt, quæ &
 Prophetis legerat prædicta, & magno dolo-
 ris sensu animo eius semper obuersabantur.

Quid illam animi habuisse dixeris, cum
 nuntium illi adferretur, me, solatium cordis
 sui, captum velut latronem per plateas fre-
 quentissimæ ciuitatis circumduci, raptari,
 trahi, de vno Iudice ad alium indignè abie-
 gari! Quam CRVCEM ei intulere alapæ ma-
 xillis meis crudeliter impactæ? flagella, co-
 rona

rona spinea, arundo, & ipsa CRUX, quam
 fauciis ac cruentis humeris, miserando fanè
 spectaculo deportabā. Sed præ his omnibus,
 tū vel maximè doloris gladius animam eius
 pertransiuit, cū staret iuxta CRUCEM, & ea
 quæ circa me fiebant, contempleretur.

*Cū me vidit suum natum
 Morientem, desolatum,
 Emittentem spiritum.*

Non se poterat vltra continere Stauro-
 phila, sed in lacrymas effusa, subiunxit:

*O quàm tristis & affecta
 Fuit illa benedicta
 Mater Vnigeniti!*

*Quis est homo qui non fleret,
 Mæstam matrem si videret
 In tanto supplicio?*

Pergebat verò Christus: Tunc, ô Stauro-
 phila, (iuxta Ieremiam) *angustiæ & dolores* Jerem. 49,
*tenuerunt eam quasi parturientem: * nam do-* 24.
lores partus, quos effugit parturiens, sustinuit * Damasc.
ex maternâ compassione viscerum me repartu- de Fid.
riens lacerum. Omitto quòd è CRUCE Orthod.
 depositum gremio exceperit, omnia vulnera lib. 4. c. 15.
 explorauerit, & magnâ animi mœstitiâ vlti-
 mæ interfuerit sepulturæ. O Domine, in-
 quiebat Staurophila, quis mihi det penitiùs
 expendere, & appendere singulos dolores
 mœstissimæ Matris suæ!

4. Esdr. 4, 5 *Pondera mihi*, dicebat Christus, si vales, *pondus ignis*. Rimare, si potes, feruentissimum illud amoris incendium, quo cor eius erga me continē aëstauit, & tum doloris magnitudinem utcumque cognosces. Agnosce Matrem, agnosce Filium, & hunc vnigenitum, illum *desideratum cunctis gentibus*, * *Speciosum formā præ filijs hominum*, denique ipsum Deum ac creatorem vniuersorum. Quantam verò ex tanto amoris fomite surrexisse credis flammam? *Tantum enim necesse est vr̄at dolor, quantum hæserit amor.*

Agg. 2. 8.
* Pf. 44, 3.

August.
lib. 21. de
Ciu. Dei
cap. 26.

Bernard. de
Lament.
VII.

Vnde credo plenē enarrari non posse dolorem Virginis: sed hoc dicendum, tantum fuisse, quantum vnquam dolere potuit de tali filio talis mater.

Hæc porrò eò adducta sunt, filia, vt clarissimè videas, ne Matrem quidem meā CRVCIS fuisse exortem: ac proinde nec te nec vllum omnino à CRVCIS consortio excipiendum. Optimè id intelligebat Apostolus, qui dicebat: *Nemo in tribulatione moueatur, ipsi enim scimus quòd in hoc positi sumus.* An ergo mirum, si CRVCES & calamitates in hoc seculo perpetuò ferenda, cum ad toleranda vniuersa militetis. Et sanè Christianus quòdammodò esse desinit, qui, *in hoc positus vt perferat, nihil perfert.*

1. Theff. 3,
3.

Saluian.
contra
Gent.